





8726

1767. 15.

S P E C I M E N  
CONTINENS  
**C A P V T I V R I S C O N T R O V E R S V M**

A D

C A P . XXXVIIII.

P. D E N O X A L. A C T I O N .

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

**D. CHRISTIANO HENR. BREWNING**

PROFESSOR. IVR. NAT. ET GENT. PVBLIC. ORDIN.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AUDITORIO PETRINO

DIE XVIII. NOVEMBER. ANNO CICDCC LXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T


**IOANNES PAVLVS RICHTER**

FREYBERG.

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .



VIRIS  
MAGNIFICIS  
EXCELLENTISSIMIS CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMIS ET PRUDENTISSIMIS  
**C O N S V L I B V S**  
**P R A E T O R I B V S**  
RELIQVISQUE  
**SENATORIBVS MERITISSIMIS**  
ANTIQUAE ELECTORALIS  
SAXONICAE  
FREYBERGENSIVM CIVITATIS  
  
P A T R O N I S   O P T V M I S.

S P E C I M E N  
H O C  
S T U D I O R V M   A C A D E M I C O R V M  
S V O R V M  
S V A E Q V E   G R A T I T V D I N I S  
D E V O T I Q V E   A N I M I  
D O C V M E N T V M

D.            D.            D.

IOANNES PAVLVS RICHTER  
RESPOND.



A D


CAP. XXVIII. P. DE NOX.  
ACTION.

§. I

**N**emo est, qui ignoret, Romanos seruis omnia  
humanitatis iura negasse eosque solis rebus vel  
potius pecuniae adnumerasse. Quare ex huius  
populi iuribus, sicut contra alias res, vt pote  
contra quadrupedes, a quibus pauperiem passi fueramus, ita et  
contra seruos, qui aequae inter res erant, actio dari iudiciumque  
decerni non poterat. Hinc si nocuisset seruus, cum ipse  
conueniri non posset, iam Decemuir in dominum iudicium  
dedere, noxale scil. furto commisso a seruo, ast sciente Do-  
mino. Ita enim a *Decemuiris teste VLPIANO in L. 2.*  
*§. I. π. de Nox. Act. sancitum erat: SI SERVVS SCIEN-*  
*TE DOMINO FVRTVM FAXIT, NOXIAM VE-*  
*NOXIT, NOXAE DEDITO.* Post vero Edicto suo Prae-  
tor hanc decemuirorum actionem noxalem ampliauit, et vel  
ad alia priuata seruorum delicta, vel ad ea, quae *insciente*

A 2

Domi.



*Domino commissa erant extendit, Ita sane est apud Eguin BARONEM in Manual. L. II. p. 46. et praeципue apud Gerb. NOOND. in Comm. ad Pand. Tit. de Nox. Action. et in Comm. ad L. Aquil. cap. X. Haec iam non vrgeo.*

### §. II.

Conueniebatur ergo *Dominus* ex priuato serui, qui res erat, delicto, quamuis et incio nolenteque domino delictum commissum esset, qui haud poterat in aestimationem simpliciter condemnari, cum delicti commissi nec culpam, nec imputationem ferret, sed seruum noxae dare poterat, quod si nollet, tunc offerenda damni aestumatio. Neque vero solus conueniri dominus poterat, verum etiam qui alienum seruum possidebat, animo scil. sibi habendi. Neque quidquam intererat, siue bona, siue mala fide possideret, cuius iuris rationem CAIUS exponit in L. 13. π. de Nox. A&L. Nam absurdum, inquit, videtur, eos quidem, qui bona fide possiderent, excipere actionem; praedones vero securos esse. Et praeterea constat, contra eum vel dominum, vel possessorem agi debuisse, qui litis tempore seruum possidebat, non qui vel dominus, vel possessor eo tempore fuerat, quo no- cuerat, hinc regula intelligenda: *noxa sequitur caput.*

### §. III.

Cum vero facile contingere posset, vt aliis esset dominus, aliis vero serui possessor, is vero conueniens, qui possideret, recte quaerebatur, quae domini iura essent, si seruus a possessore noxae daretur. Videtur AFRICANVS in L. 28. π. de Nox. A&L. hanc respexisse quaestioneum. Verba capitis haec sunt: *Et generaliter, si alieni serui nomine, qui tibi iustum seruitum seruiret, noxali tecum egerim: tuque eum mihi noxae dederis: siue me possidente, dominus eum*

eum vindicet; exceptione dolii mali, nisi litis aestimationem offerat, eum submouere possum: siue ipse possideat; Publiciana mibi datur; et aduersus excipientem, SI DOMINVS EIVS SIT, utilem mibi replicationem dolii mali profuturam: et secundum haec usum quoque me capturum, quamuis sciens alienum possideam.

#### §. IV.

Ita Florentiae scriptum; non vero omnium librorum eadem lectio. Editio Gloffata, quae prodiit impensis Hugo-nis de Porta Lugdun. MDXXXI. eandem tenet lectionem. Obseruante vero RVSARDO et PACIO quidam libri exhibent, qui tibi iusta seruitute et submoueri puto. Vtraque varians lectio nihil ad legis difficultatem explicandam confert. HALOANDER verba: nisi litis aestimationem offerat, parenthesi includit, sed absque necessitate. Quidam liberi exhibent: Si non dominus eius sit, vel vt Haloander et edit. Gloffata quae prodiit impensis Anton de Castellione, et Ambros. de Caymis Mediol. MCCCCLXXXII. si dominus eius non sim. Approbat hanc lectionem CVIACIVS ad African. Quaest. L. VI. b. I. autoritate Βασιλικῶν, quae habent: εἰ μὴ δεσπότης εἴμαι L. pen. et vlt. π. de Publ. in rem action. Hub. GYPHANIVS de Ord. Iudic. Tr. I. Cap. XVII. p. 133. alteram lectionem: Si dominus eius non sit, arguemento, L. 17. π. de Publ. act. et L. 4. §. 32. π. de dol. except. approbat. Sed si omnia horum argumenta atque probationum vim accurate examinamus, sane nihil ego video, quod me mouere possit, vt a lectione florentina recedam, particularisque abnuntiis intrudam praeter omnem necessitatem in quoque praeter ipsius legis verum sensum, dummodo recta adhibeatur interpretatio.

#### A 3

#### §. V.



## §. V.

Videamus itaque an forsitan absque crisi violenta, qualis est, qua particulam non intrudimus, recte Africanus intelligi possit. Arbitror his legis verbis duo diuersa themata contineri atque ad ea a ICor responderi. Seruus, quem egomet bona fide possidebam, quiq[ue] vere seruus erat, seu ut ICrus loquitur, qui mibi iustam seruitutem seruiebat priuatum delictum commisit alterique nocuit. Is, cum sciret, agi posse contra possessorem serui, qui nocuerat, noxalem conrra me instituit actionem. Ego, ut me liberem, hunc ipsum seruum bona fide possessum alteri noxae datus erat, vindicaturus seruum. Rei vindicatione itaque instituta, Africanus reo, qui ex noxae ditione seruum possidet, concedit exceptionem doli mali, atque sic affirmat submouere eundem hac opposita exceptione ipsum vindicantem dominum, nisi dominus aestimationem litis offerat propter quam noxae datus fuerat seruus. Cum enim a me non domino noxae datum acceperat seruum, ne praestarem egomet litis aestimationem, iuste quidem seruum possidebat, quia et si dominus eundem possedisset, noxae danus fuisset, et quod ipse dominus non fueram, tantum doli exceptione repellebam vindicantem dominum, cui tamen per me electio eripi non poterat, an mallet litis aestimationem ferre, an noxae datum permanere seruum. Et ita quoque LEO Basilik. LIB. LX. Tit. de Nox. Act. Cap. XXVIII. Γενικῶς γὰρ ὁ δικαῖος δουλευόμενος, ἐὰν ἔναχθει τῇ νοξαλίᾳ ἐνδῷ, ἔχει ὁ ἐνάγων νεμόμενος κατὰ τὸ δεσπότου παραγγελὴν· εἰ μὴ διδωσι τὸ δικαῖον. i. e. generaliter enim, qui iuste seruiebat, si conuento possessore noxae deditus

❧

deditus sit, actor qui nunc possidet aduersus dominum exceptionem habet, nisi litis aestimationem praesert.

### §. VI.

Alterum thema a verbis: *sive ipse possideat* hoc erit: A non domino possessore vero noxae datus mihi fuerat seruus, cum nollet litis aestimationem ferre. Venit hic ipse seruus postea in possessionem veri sui domini. Quaerebatur an ex eo, quod noxae datus mihi esset, possem repetere a vero domino? Adfirmsat id Africanus ipsamque addit actionem, qua videlicet experiendum sit, cum vindicatio non daretur mihi, qui a non domino seruum acceperam. Publiciana itaque experiri me posse adfirmsat ICtus, quod et PAVLO placuit in L. 6. n. de *Publ. Act.* Sed dubitant an contra dominum Publicianam institui posset. STEPHANVS notante SCHOLIASTE ad *Basili*. c. l. non veram publicianam, sed κούρσι πονθιμίαν subintelligit. At quid? si instituta actione reus exceptione vtatur: *SI DOMINVS EIVS* sc. serui *SIT*, ita haec verba exceptionis formulam denotant non obstantibus iis, quae monuit CVIACIVS Obseru. V. 34. et Barn. BRISSONIVS de *Formul. P. R. Lib. V.* Succurrat et hac specie Africanus actori data contra exceptionem dominii *replicatione dolii mali*, qua excipientem repellet, si scil. dominus sit serui, qui exceptionem oppo-suerat. Compellitur itaque ipse dominus ad restituendum seruum non domino, cui noxae datus erat, qui et usucapere potest seruum, quamvis a non domino se accepisse sciat, sive in malae fidei possessione. Non ergo utimur alia lectione, quam quae florentina est: sic forsan *Basilianus* le-

ctio



Διο: εἰ μὴ δεσπότης εἰς deprauata, restituenda εἰ μὲν si quidem. Plura non addo.

### §. VII.

Frustra demum esset, addere quidquam de huius legis applicatione in foro instituenda. Fac enim seruum germaniae delicto alteri nocuisse, cum priuatorum delictoru[m] apud nostrates rarior vsus, magis ipse seruus homo proprius, cui proprium non omnino negari potest patrimonium, conueniatur, et ni habeat, subsidiario soluat tergo, vt nulla noxae datio super sit. Inanis ergo fit disputatio, que utilis erat aetate Africani imo et Iustiniani.

### T A N T V M.




**ULB Halle**  
003 719 014

3



1078





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

1767, 15.  
CIMEN  
NTINENS  
CONTROVERSVM  
D  
XXVIII.  
AL. ACTJON.  
WOD  
M ORDINIS GRATIA  
E S I D E  
HENR. BREVNING  
ET GENT. PVBLIC. ORDIN.  
LITER. DVISBVRG.  
CIO  
RIO PETRINO  
ANNO CICICCC LXVII.  
DEFENDET  
LVS RICHTER  
BERG.  
SIAE  
LANGENHEMIA.